Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.

Wien, 1794 Seite 1649

Quelle:
Copyright:

que iſta lucem adſpexiſſe videtur. Incipit: *Proty radye doctorſkee. kterzy gſu zemy krzywie zhyzdyly* &c.

IX. *fol.* 27. *Contra ſalua* (falſa?) *dicta et conſilia doctorum Hus.* Apud *Cochlaeum* L. I. p. 50. inſcribuntur: *Objectiones Huſſitarum contra conſilium Doctorum*, et incipiunt: *Primo. Fundamentum doctorum ſuper quo fundant omnia ſua ſcripta et conſilia eſt falſum* &c.

X. *fol.* 29. *Contra falſa conſilia doctorum Hus ſummarie collegit.* Notae hae ad eundem ſcopum collimant, videlicet ad refutanda *Conſilia* N°. II. indicata. Incipiunt: *De clero peſtifero, ibi obiciatur, quod per hoc infamant regnum. Ergo oſtendant clerum peſtiferum illum* &c. Επιθετον *Peſtiferi*, quo uſi ſunt Theologi *Huſſo* contrarii, ejus Partem vehementer uſſiſſe videtur. Notae hae vix ullibi lucem adſpexerint.

XI. *fol.* 30. p. 2. *Incipit valde vtilis informacio contra errores et hereſes Huſonis et ſuorum complicum.* Directa eſt haec *Informatio* contra duo Scripta praecedentia, quae nominatim adpellantur, et articulatim refutantur hoc initio: *Alma et venerabilis facultas Theologica Studij Pragen. atque doctores omnes de eadem facultate attendentes quod nedum de magiſtris et ſuppoſitis eiusdem ſtudij, ſed et de perſonis vtriusque ſexus regnicolis preclari Regni Boemie in diuerſis mundi partibus mala fama volaret* &c. Atque deinceps ad IX. *Articulos* prioris et ad X. poſterioris reſpondetur. Ad calcem: *Explicit katholica replicatio Sacre Theologie profeſſorum Studij Pragen. contra quedam ſcripta heretica et erronea Huſonis Hereſiarche et ſuorum complicum ſub anno domini M° CCCCXIII°.* Neſcio, an ullibi typis prodita.

XII. *fol.* 58. *Item Reſponſio doctorum ad predictas duas Replicationes impertinentiſſime et falſiſſime factas contra conſilium doctorum katholicorum.* Exhibet ſecundam hanc Reſponſionem *Cochlaeus l. cit.* p. 53. non tamen initio penitus cum Exemplo noſtro conſpirantem, quod incipit: *In primis ponunt quod fundamentum doctorum ſuper quo fundant omnia ſua ſcripta et conſilia eſt falſum* &c. Subjecta eſt brevis Profeſſio Doctorum Theologiae, quam, ut ait Inſcriptio, *Huſſitae* nullatenus facere voluerunt. Quod non mirum; *Wicleffus* enim per eam abſolute damnandus fuiſſet.

XIII. *fol.* 67. p. 2. *Broda* (Andr.) *Contra obiectiones Huſſonitarum, que ſic incipiunt: De clero peſtifero. Ibi obiciatur* &c. Itaque contra eas, quae N. X. indicatae ſunt. Scriptum breve ἀνεκδοτον.

XIV. *fol.* 69. p. 2. *Sequitur bulla contra buſſitas quam ipſi nequitioſe ut ſemper conſueuerunt gloſauerunt.* Meminit *Gloſationis* hujus ſolertiſſimus *Cochlaeus* L. I. p. 21. atque Specimina quaedam depromit. In *Cod.* vero integra interjecta eſt *Bullae* textui. Bulla

porro